

## Ars vetus

Quoniam per ignoranciam artis musice  
multi. et maxime temporibus modernis  
cantando delirant Ideo de arte musice  
breue compendiosum deo inuente  
propono.

Notularum quedam duplices longe,  
quedam longe, quedam breves, quedam  
semibreves et quedam minime.

Et ueteram ac nouam artam in isto  
compendiolo manifestare intendo  
secundum quod uulgo dicitur ab unitate  
inchoandum est.

Et quia unitas prior est dualitate et  
breuis notula habet unum tempus longa  
uero duo uel plura Ideo breuis prior est  
quam longa. et sic semibreuis ante  
breuem et minima an semibreuem.

Et quia dicit actor quod a sempliciori  
et leuiori inchoandum est longe notule  
sunt simpliciores breuibus et  
semibreuibus. Quod patet quia breues  
notule et semibreues difficiliores sunt ad  
pronunciandum quam longe.

ideo ab ipsis longis tanquam a  
simplicibus est inchoandum.

A longis tanquam a simplicioribus  
debemus inchoare.

<De modis secundum Franconem>

Procedendo igitur ad modos breuiter  
motelorum uel motetorum. Quia de  
figuris uero nichil uix est faciendi.

Simplicium vero sunt quatuor species  
videlicet longa, brevis et semibrevis ac  
minima quae est primum cantus  
mensurabilis, [-f.33v-] et ideo ab eo  
inchoandum est quaemadmodum in  
numeris ab unitate

nam sicut in numero naturali unitas  
prior est dualitate, et dualitas ternario et  
sic deinceps sic minima prior est  
semibreui et semibrevis brevi et brevis  
prior est longa

Sciendum est quod in cantu  
mensurabili secundum magistrum  
Franconem quinque sunt modi licet  
quidem posuerint esse sex et bene ut  
procedendo patebit.

Primus modus secundum magistrum  
Franconem procedit ex omnibus longis.

Secundus constat ex breui et longa.

Tercius constat ex longa et duabus  
breuibus.

Quartus ex duabus breuibus et  
longa.

Quintus ex omnibus breuibus et  
semibreuibus.

uide residuum in arte magistri  
Franconis

secundum enim Magistrum Franconem,  
quinque sunt modi Motetorum, licet  
quidam ponunt Sex et bene ut jam  
prosequendo in litera apparebit.

Primus modus secundum  
Franconem, procedit ex omnibus longis

...

Secundus modus procedit ex brevi  
et longa et brevi:

Tertius modus ex longa et duabus  
brevibus et longa.

Quartus vero modus ex duabus  
brevibus et longa.

Quintus ex omnibus brevibus et  
semibrevibus.

### <De longis et brevibus>

Simplex longa est que quadratum  
habet corpus et a dextro latere caudam  
sive ascendendo sive descendendo ut  
hic. Et in modo perfecto tria valet  
tempora, imperfecto duo. Si autem habet  
duas caudas sive lateris dextri cauda sit  
longior, tunc fit longa; si sinister, tunc  
fit brevis, ut patet hic.

Duplex longa est notula que habet  
duplex corpus respectu longe et a dextro  
latere caudam ascendendo sive  
descendendo ut hic. In modo perfecto  
sex valet tempora et imperfecto 4.  
Inperficitur respectu etiam longe in  
modo perfecto, scilicet quando sola  
brevis vel due cum ea jungantur, quia  
tunc necessario 5 vel quatuor valet  
tempora ut hic.

Figura simplicis longae est corpus  
quadratum habens caudam descendendo  
vel ascendendo in parte dextra ut hic  
potest etiam longa aliter figurari ut  
patebit in ligaturis.

Quinque modis scimus quod longa in modo perfecto tria valet tempora:

primo si longa longam sequitur,  
semper prima longa tria valet tempora ut hic;

secundo [-59-] si longam immediate punctillus qui perfectionis dicitur signum precedat vel sequatur semper prima longa tria valet tempora ut hic;

tertio si longam due breves sequantur nulla brevi precedente ut hic;

quarto si longam tres breves sequantur nulla brevi precedente ut hic;

quinto si longam quinque breves sequantur nulla brevi precedente quinta brevis altera debet esse ut hic.

sciendum est quod tribus modis perficitur longa quae nullo modo imperfecti debet a parte ante nec a parte post nisi per literam divisionis.

Primo, longa ante longam de modo perfecto, ut hic.

Secundo modo, longa ante punctum, ut hic. Tertio modo, si pausa longae quae dicitur signum perfectionis immediate longam sequatur et hoc si fuerit ejusdem coloris, ut hic. . . .

Quarto modo invenitur quod longa perficitur videlicet si duae breves longam sequantur nulla [-f.40v-] brevi praecedente ad eam pertinente et sic non indiget puncto, ut hic. posset tamen prima longa imperfecti a parte ante nisi punctus eam immediate sequatur, ut patet in Moteto qui vocatur Hugo, quod edidit Philippus de Vitriaco. De brevibus et semibrevibus idem est judicium.

Quinto modo invenitur longam esse perfectam, scilicet si tres breves immediate longam sequantur nulla brevi praecedente ad eam pertinente, sic non indiget effectum, ut hic posset tamen prima longa imperfecti a parte ante per brevem praecedentem, vel per valorem nisi punctus immediate eam sequatur, ut patet in tenore de *Gratissima*, quem idem Philippus edidit, de brevibus et semibrevibus idem est judicium. Sicque patet quot modis perficitur longa et tot modis perficitur brevis ac semibrevis quia de longis, brevidus et semibrevibus idem est judicium.

Longa quatuor modis demonstratur  
esse imperfecta,

primo si longam sola brevis antecedat  
ut hic;

secundo si longam sola brevis ut hic  
sequatur;

tertio si longam due breves sequantur  
vel 3, ita tamen quod post primam  
brevem punctus divisionis ponatur ut  
hic;

quarto si 4 breves longam sequantur  
ut hic. Istud autem intelligendum quod  
quando plures breves longam sequuntur  
quarum possunt alterari quecumque 4  
vel 7 vel 10 sequuntur, necesse est  
judicari duorum temporum, nisi  
punctus perfectionis ponatur ibidem.

Notandum est etiam quod si post  
longam breves infinite ponantur, tres  
pro perfectione sunt computate et  
ultime perfectioni due breves  
reperiuntur: ita ultima debet alterari  
brevis; secundum confusionem, propter  
hoc ut magis pateat cantanti, punctus  
etiam ultimas duas breves apponi debet,  
et potius ponunt longam si tria tempora  
valere debeat, ut hic.

Longa perfecta quinque modis  
inperficitur, et idem est judicium de  
brevibus et semibrevisbus,

primo modo imperficitur longa si sola  
brevis antecedit eam, ut hic. Idem est  
judicium si sola brevis antecedit brevem  
aut minima semibreven, ut hic

<secundo> modo, si longam sola  
brevis sequatur, ut hic. idem est  
judicium si sola semibrevis sequatur [-  
f.41r-] brevem vel minima semibreven,  
ut hic.

Tertio modo, si duae breves longam  
sequantur et punctus divisionis  
interponatur, ut hic. Idem est judicium  
de brevibus et semibrevisbus, ut hic.

Quarto modo, si tres breves longam  
sequantur habentes punctum divisionis  
inter primam brevem et duas breves  
sequentes, ut hic. Idem est judicium si  
tres semibreves sequantur brevem vel  
tres mediae semibreven habentem  
divisionem inter primam et duas  
sequentes, ut hic. Idem intelligitur de  
tempore perfecto et de maiori  
prolatione.

Quinto et ultimo modo, imperficitur  
longa perfecta scilicet si plures quam  
tres breves sequantur longam, ut hic  
quia semper computandae sunt tres  
breves pro perfectione in modo perfecto.

Brevis notula sic formatur et dividitur et alteratur.

Recta brevis est ista que tantum valet unum tempus. Altera vero brevis valet duo tempora, et fit quotiescumque in modo perfecto due breves inter duas longas ponuntur vel inter longam et punctum et e converso vel quando pausa unius temporis et brevis inter duas longas ponuntur quia tunc unica brevis est altera et valet duo tempora ut hic.

Recta brevis est illa que non ualet nisi unum tempus quod minimum in plenitudine uocis

### <De ligaturis>

De ligaturis breviter est dicendum: omnis igitur ligature carentis tractu quolibet cuius secunda ascendit [-61-] prima brevis ut hic. Per regulam a contrario subsequitur: omnis ligature carentis tractu quolibet cuius secunda descendit prima longa ut hic.

Quandcumque signum apponitur ascendendo, ascendat sive descendat, prime due note illius ligature non nisi solum tempus valent ut hic.

Quandcumque signum descendens a parte sinistra apponitur, si secunda ascendat sive descendat, primam facit esse brevem ut hic. De mediis breviter dicendum est quod voces medie nullatenus inquinantur ut hic.

De finalibus breviter est dicendum quod omnis finalis ascendens brevis est ut hic, nisi tamen due vel quinque essent medie quia secunda sive quinta in modo perfecto alteratur ut hic nisi ordine prius posito ponatur quia tunc fit longa, vel si signum a latere dextro ascendendo vel

descendendo apponatur quia tunc fit  
longa ut hic. Per regulam a contrario  
subsequitur: omnis finalis descendens  
longa est ut hic, nisi sit configurata, quia  
tunc breviatur ut hic.

<De pausis>

Tandem de pausis dicendum est:  
sicut omni mensurabiliter cantare refert,  
sic et pausare. Unde pausarum  
secundum antiquos 4 sunt genera. Est  
igitur pausa trium temporum, nec est  
major in arte; pausa duorum temporum,  
pausa unius temporis, pausa  
semitemporis. Pausa trium temporum  
tria spatia continet et tantam moram  
facit tacendo quantum tria tempora  
pronuntiando. Pausa duorum temporum  
[-63-] duo spatia continet et tantam  
moram facit tacendo quantum (duo  
tempora pronuntiando; pausa unius  
temporis unum spatiū continet et  
tantam moram facit tacendo quantum)  
solum tempus pronuntiando. Pausa  
semitemporis semispatiū continet et  
tantam moram facit tacendo quantum  
dimidium tempus pronuntiando.

Explicit <ars vetus>.

## Ars nova

DE Noua arte quam Philippus de  
Uitriaco nuper inuenit dicam hoc modo.

Dicto de longis, brevibus, ligaturis et  
pausis prout veteri arte ordinantur et  
cognoscuntur, dicendum est de  
brevibus, semibrevis et minimis,  
prout in nova arte et secundum  
modernos ordinantur et pronuntiantur.

### <De brevibus>

Primo a brevibus tanquam a  
simplicioribus debemus inchoare.

Sciendum quod sicut longa longa  
perfecta tria valet tempora, sic brevis  
perfecta tres semibreves et semibrevis  
perfecta tres minimas et minima duas  
semiminimas, si dici possent  
semiminime, ut hic.

Item sicut se habet brevis ad longam  
vel longa ad brevem ita semibrevis ad  
brevem et minima ad semibreven.

Primo a breuibus tamquam a  
simplicibus inchoabo. Postea dicam de  
semibreibus postea de minimis.  
Tandem uero de semiminimis.

Sciendum est quod sicut in ueteri  
arte est ita in noua. Sed in ueteri arte  
longa ante longam ualet tria tempora. et  
sic breuis ante breuem ualet tres  
semibreues et hoc do modo perfecto  
intelligendum est.

Ita sicut se habet breuis ad longam  
ita semibreuis ad breuem et minima ad  
semibreuem.

Item sicut in ueteri arte longa ante  
longam de modo perfecto ualet tria  
tempora sic in noua arte breuis ante  
breuem de tempore [-f.4r-] perfecto  
ualet tres semibreues

Item sicut in ueteri arte longa  
inperficitur per breuem a parte ante uel  
a parte post et ualet duo tempora sic in  
noua arte breuis inperficitur per  
semibreuem a parte ante uel a parte post  
et ualet duas semibreues et similiter  
semibreuis per minimam et ualet duas  
minimas

quia sicut se habet breuis ad longam  
sic semibreuis ad breuem et minima ad  
semibreuem ut hic.

Sicut se habet minima ad semibreven  
ita semibrevis ad brevem et brevis ad  
simplicem longam et simplex longa ad  
suam majorem.

Unde de longis, brevibus, semibrevis,  
idem est judicium.

Primo, sicut in modo perfecto 5  
 modis noscitur esse perfecta, scilicet  
 longa ante longam et sic de aliis, quatuor  
 modis imperfecta, scilicet quando sola  
brevis precedit vel sequitur in arte  
veteri,

sic brevis in arte nova et in prolatione  
 perfecta tot modis cognoscitur esse  
 perfecta, scilicet brevis ante brevem et  
 sic de aliis, et tot modis imperfecta,  
 scilicet quando semibrevis precedit vel  
sequitur brevem, et similiter semibrevis  
 tot modis noscitur esse perfecta vel  
 imperfecta, videlicet in prolatione  
 perfecta et majori imperfecta quia in  
 minori prolatione imperfecta nulla  
 semibrevis potest esse perfecta nisi  
 ponatur punctum perfectionis, ut hic.

Item sciendum, ut habemus in veteri  
arte quando due breves in modo  
perfecto inter duas longas ponuntur vel  
 inter longam et punctum vel e converso,  
secunda brevis est altera et duo valet  
tempora.

Eodem modo quando due semibreves  
 in prolatione perfecta inter duas breves  
ponuntur vel inter brevem [-65-] et  
 punctum et e converso secunda  
semibrevis est altera et valet duas  
semibreves,

[1] Sed sic se habet breuis ad longam  
in veteri arte quod quando sola breuis  
precedit uel sequitur longam, longa non  
ualet nisi duo tempora ergo sic erit in  
 proposito quod quando sola semibreuis  
sequitur solam breuem uel precedit.  
breuis non ualet nisi duas partes unius  
 temporis scilicet duas semibreues ut hic.

[2] Item sic uidemus in veteri arte  
quod quando sola breuis sequitur  
longam uel quando plures quam tres  
 sequuntur quod illa longa non ualet nisi  
duo tempora nisi opponatur signum  
 perfectionis. sic est in noua arte quod  
 eodem modo quando sola semibreuis  
sequitur breuem uel quando plures  
 quam tres semibreues sequuntur. illa  
breuis non ualet nisi duas semibreues ut  
 patet.

Et eodem modo quando sola minima  
 sequitur semibreuem uel quando plures  
 quam tres sequuntur semibreuem  
 predictam semibreuis non ualet nisi  
 duas minimas ut patet hic.

Quando due breues ponuntur inter  
duas longas. secunda dicitur altera et  
ualet duo tempora.

Sic quando due semibreues  
ponuntur inter duas breues secunda  
 illarum semibreuum duas semibreues  
ualet ut patet in hoc exemplo.

Item sicut in veteri arte ut predictum  
 est quando due breues inter duas longas  
de modo perfecto inueniuntur et  
secunda alteratur

sic in noua arte quando due semibreues  
inter duas breues de tempore perfecto  
uel inter breuem et longam inueniantur  
 prima unum tempus habebit et secunda  
erit altera sic.

et eadem ratione quando due minime  
in majori inter semibreves ponuntur  
minima secunda duas valet minimas et  
altera minima vocatur, ut hic.

Brevis imperfecta ad modum longe  
inperfecte, quoniam in duas dividitur  
breves, sic brevis imperfecta in duas  
semibreves et semibrevis in duas  
minimas ut hic.

Descendendo breuiter ad diuisionem  
breuis notule. Sciendum est quod breuis  
notula perfecta ualens unum tempus  
diuiditur in tres semibreues equales. Et  
quilibet illarum semibreuum  
subdiuiduntur in ter minimas et quilibet  
illarum minimarum diuiduntur iterum  
in duas semiminimas [-f.127v-] equales  
si posset dici ut hic.

Breue tempus imperfectum diuiditur  
in duas semibreues equales et quilibet  
illarum semibreuum diuiditur in tres  
minimas et quilibet illarum minimarum  
subdiuiditur in duas semiminimas  
iterum si possent dici ut hic.

### <De semibrevibus et minimis>

Semibrevis a parte superiori recte  
caudata minima vocatur;  
illa vero que in oblicum versus  
dextrum latus caudata semiminima  
vocatur ut hic.

Primo posset querere aliquis  
ignorans que uocetur minima. Et que  
semiminima. Ad quod breuiter dico  
quod semibreuis recte caudata a parte  
superiori uocatur minima ut hic.

Et minima recte bis caudata a parte  
superiori uocatur semiminima.

Et sic appetit utiliter cuilibet  
intuenti quot notule apponantur pro uno  
tempore licet ibi puncti non ponantur et

Eodem modo quando due minime  
inter duas semibreues de maiori  
prolacione inueniuntur sic.

Et sciendum quod nulla notula  
alteratur nisi in secundo [[loco]] modo  
quando due note accipiuntur pro  
numero ternario et ante suam maiorem  
uel ante eius ualorem sic.

[De diuisione breuis note. man. sec.]  
Item sciendum est quod breuis perfecta  
in tres diuiditur semibreues equales et  
quilibet illarum semibreuum in tres  
minimas et quilibet illarum minimarum  
in tres semiminimas.

Item breuis <im>perfecta in duas  
semibreues et quilibet illarum  
semibreuum in duas minimas et  
quilibet illarum minimarum in duas  
semiminimas.

Minima est que habet tractum a  
parte superiori ascendentem sic.

Semiminima est que habet tractum  
ascendentem in obliquum uersus  
dextram partem sic uel sic et non  
possunt poni impares.

si semiminime inueniantur due  
semiminime computantur pro sola  
minima quia semiminime non possunt  
poni impares ut patet in hoc exemplo  
sequentि.

Item nota quod si aliqua semi  
temporis inter tales semiminimas  
reperitur computanda est pro tribus  
minimis nisi sola minima sequatur tunc  
enim non ualeat nisi duas minimas ut  
patet hic.

## &lt;De valore semibreuum&gt;

Et si apparet quod notule et pause sunt equiuoce nota quod omnis semibreuis notula est equiuoca ad hoc quod potest ualere. Sex uel quinque uel tres uel duas minimas Equiuoca distinguitur ab adjunctis pro tanto dum est. quia quando due semibreues ponuntur inter duas longas secunda illarum ualet sex minimas ut hic. nisi prima signetur a parte inferiori ut hic. Quia tunc prima ualet sex minimas unde dico quod talis semibreuis notula caudata a parte inferiori est equiuoca quia quandoque ualet sex minimas ut patet hic. quandoque uero quinque ut patet. Quandoque uero ualet tres ut [- f.128r-] exemplum. Quandoque uero ualet duas ut hic patet.

Sciendum quod secundum diuersos istarum semibreuum ualores diuersa sortiuntur nomina [alii in marg.] Vnde semibreuis que sex ualet minimas **maior** nuncupatur. Semibreuis uero que quinque uel quatuor **semimaior** nuncupatur a semis quod est imperfecta imperfectum. Illa uero que tres ualet minimas **recta et uera semibreuis** uocatur licet omnia corpora obliqua largo modo loquendo id est de semibreuibus semibreues uocantur. Illa uero que duas ualet minimas **minor** uocatur ut dictum est prius. Que uero solam **minima** appellatur. Que uero minime medietatem **semiminima** nominatur.

## &lt;De valore minimarum&gt;

Minime et semiminime ad gradum superlatum solvendum nominantur, sicut et alie semibreves inposita habentes nomina:

alia nomina imponi possunt, ita quod minima vocatur semiminar et semiminima minima.

Quedam a parte superiori et inferiori simul caudantur: unde quotiens reperiuntur, pro duobus minimis computantur, nec plus valere possunt.

Notandum quod si longam vel duplam longam sequatur in prolatione perfecta semibrevis sola precedat, dividit ipsas tantum imperfectum quantum est in proprium ut hic. Item si minima sequatur easdem vel precedat, dividit ipsas etc.; est brevis dividit ipsas nisi tamen in prolatione imperfecta, ut hic.

Item nota quod quedam sunt semibreves que caudantur a parte superiori et inferiori ut patet hic. Et tales notule sic caudate dragme uocantur gallice *fuseus*. et non possunt aliquo modo ualere nisi duas minimas.

Quod sic probatur quia sicut se habet unitas ad perficiendum numerum. et massam numerum sic minima ad semibreuem. sed sic habet numerus quia minor numerus prepositus diminuit ipsum numerum scilicet massam numerum quod ipsem ualeat sic est in proposito quia talis notula ex propria natura eius ualeat tres minimas scilicet quando est caudata a parte inferiori hoc generaliter est unum signum minutatis a proposito non ualeat nisi duas minimas. quia quando apponitur tali notule cauda a parte superiori quasi minima apponitur Sed quod minima ponatur sic probatur quia quod primo construitur illud est primum sed quia quando alias facit notulam talem primo facit corpus obliquum et postea facit de sursum exilem tractum trahando deorsum. et sic

Minime tamen et semiminime ad gradum saluandum in quo posita fuit [alia nomina minimarum imponi possunt m.rec. in marg.]

Minima alia nomina imponi possent [-f.19v-] ita quod minima uocetur semiminar et semiminima minima nominetur.

Sciendum est etiam quod secundum modernos sicut minima potest diminui sic potest augeri [alteratio m.rec. in marg.]

Vnde sciendum est quod quando due minime inter duas semibreves uel breues ponuntur in medietate secunda minima duas ualeat minimas et altera minima uocabitur tamen in gradu ternario. sicut due semibreves inter duas breues quando ponuntur in modo perfecto secunda semibreuis altera uocabitur que sex ualebit minimas ut dictum est prius.

Minima autem in Navarina inventa erat et a Philippa de Vitriaco qui fuit filos totius mundi Musicorum approbata et usitata qui autem dicunt praedictum Philippum crochutam sive semiminimam aut dragmam fecisse aut eis concessisse [-f.34r-] errant ut in motetis suis manifeste appetat.

patet quod minima preponitur et quod  
habet quando minor numerus  
preponatur maiori Unde si talem  
dragmam sequitur pausula non ualebit  
nisi solam minimam ut hic.

Notandum inveniuntur aliquotiens  
unice semibreves, breves vel longas  
sequentes, que tamen eas nec augent nec  
minuant sed potius ad invicem  
reducuntur: dicendum quod ponuntur  
ille ut per eas recta mensura syncopetur,  
et secundum aliquos deberent fieri rubee  
ut hic.\*

\* Ars discantus secundum Johannem de Muris:  
Inveniuntur etiam aliquotiens in valore  
notularum, unice semibreves, breves vel  
longas sequentes que tamen eas nec augent  
nec minuant, sed potius ad invicem  
reducuntur.

Item in breui uidimus quod quando  
sola breuis ligatur cum duplice longa illa  
duplex longa non ualeat nisi quinque  
tempora ut hic patet. Item sic est in  
proposito quod quando sola breuis liga  
cum simplici longa ualente duo tempora  
perfecta partita in .vi. semibreues  
equales illa longa predicta non ualebit  
nisi quinque semibreues ut patet hic.\*  
Et sic est in imperfecto modo quando  
sola minima ligatur cum breui ualente  
sex minimas illa breuis non ualeat nisi  
quinque minimas ut patet.

\* Jacobus: Dicit enim in octavo capitulo suis  
operis sic: Videmus in arte veteri quod,  
quando sola brevis ligatur cum longa duplice,  
duplex illa longa quinque tantum valet  
tempora et, quando duo breves a quolibet  
latere illi iunguntur, quatuor valet tempora.  
Tantum sic est in proposito in arte nova  
quoniam simplici longae, et cetera.

## &lt;De pronuntiatione minimarum et semibrevium&gt;

Tandem de pronunciacione  
minimarum et semibreuium dicendum  
est.

Unde notandum est quod due  
semibreues ponuntur pro uno tempore  
in modo perfecto. secunda debet esse  
maior et sic ualebit sex minimas ut hic.  
Nisi prima signetur quia tunc est  
equiuoca ut dictum est supra et ualeat sex  
minimas ut hic.

Quando autem ponuntur tres omnes  
sunt equales ut hic. Nisi prima signetur  
a parte inferiori et tunc prima illa ualeat  
quinque minimas ut hic [uerte in marg.]  
[-f.128v-] Et secunda solam minimam  
tercia tres minimas.

Quando quinque ponuntur prime  
quatuor ualent sex minimas et ultima  
tres ut hic patet. Nisi media illarum  
signetur ut hic apparent. Exemplum.

Quando sex ponuntur quelibet due  
ualent tres minimas ita quod prima  
ualeat duas minimas secunda solam  
minimam ut hic patet.

Quando .vii. ponuntur prime tres  
sunt minime et due medie ualent tres  
minimas et alie due tres minimas ut  
patet hic exemplum. Nisi prima signetur  
et tunc sex medie erunt minime.

Quando octo ponuntur sex prime  
sunt minime septima ualeat duas  
minimas. Et octaua ualeat solam  
minimam ut patet. Nisi aliqua illarum  
signetur a parte inferiori quia tunc illa  
signata ualebit duas minimas et omnes  
alie erunt minime.

Quando autem nouem omnes sunt minime. Quando. Et est notandum quod plures quam nouem non possunt ingredi unum tempus nisi ibi esset aliqua semiminima et tunc difficile pronunciari possent ut patet hic.

Sicque in tempore perfecto plures quam novem minimae ingraedi non possunt quod valde difficile pronunciari divisim valent.

<De signis temporum>

Ad temporis perfecti designationem anteponitur circulus rotundus, [-67-] quia forma rotunda perfecta est, et aliquando tres tractuli, et utrumque est bonum, ut hic.

Ad designandum tempus perfectum ponitur circulus rotundus quia circulus rotundus est figura perfecta ut hic patet.

Unde uidendum est quod quando talis circulus reperitur signum est quod tempus semper est perfectum nisi id est quod partitur in tres semibreues equales quod aut sit perfectum probatur sic.

[De signis temporum perfectorum et imperfectorum in marg.]

Dicto de breuibus et semibreuibus et minimis et semiminimis et de ualore earum Dicendum est de signis perfectorum temporum siue imperfectorum.

Vnde sciendum quod ad temporis perfecti designationem circulus apponatur rotundus quia forma rotunda perfecta est uel secundum aliquos obliquos apponantur tractuli tres et utrumque unum est. ut hic.

ad designandum tempus perfectum in cantu diversimodae prolatae circulus rotundus apponitur, ut hic.

[Dua signa perfectionis quia tempus aptum ad diuidendum in tres partes sit. m.rec. in marg.] Ad denotandum quod quelibet semibreuis diuiditur in tres partes euanles in ternario loco dicendum est quod ubicunque talis arcus uel tres tractuli sine divisionis puncto reperiantur. non est perfectionis scilicet quod tempus in se perfectum est id est aptum natum ad diuidendum in tres partes equales quod sit perfectum sic probatur [questio in marg.]

Ad temporis imperfecti designationem inponitur semicirculus et aliquando duo baculi et utrumque est bonum, ut hic.

Illud est perfectum quod habet principium medium et finem ergo est sed tempus perfectum cum partitur in tres semibreues equales uidetur habere quodam modo principium medium. Et finem ergo est perfectum.

Et e conuerso tempus imperfectum quodam aliquo istorum caret.

Unde tempus imperfectum est quando non diuiditur nisi in duas semibreues tantum et sic caret una illarum.

Unde ad designandum eius imperfectionem ponitur semicirculus ut hic.

Hoc est perfectum quod habet principium medium et finem sed tempus est huiusmodi ergo et cetera.

Et e conuerso illud est imperfectum quod caret istis siue uno istorum sed tempus imperfectum est huismodi ergo. Maior patet minor declaratur. [probatio temporis perfecti et imperfecti m.rec. in marg.]

Tempus enim imperfectum non nisi in duas diuiditur semibreues et sic uno caret istorum et cetera.

Vnde ad eius <im>perfectionem denotandam semicirculus uel duo tractuli apponantur

quia hujusmodi est perfectum quod habet principium, medium et finem et sic habet numerus ternarius quia componitur ex tribus brevibus

et e contra et illud est imperfectum quod caret uno illorum cuius est numerus unari quia non habet medium de perfecto numeri ternarii vide Philippum

Sed ad tempus <im>perfectum demonstrandum semicirculus figuratur, ut hic.

## &lt;De divisione modi et temporis&gt;

Sciendum igitur quod sunt aliqui cantus perfecti modo et tempore, alii imperfecti, alii modo et non tempore, alii tempore et non modo, alii partim perfecti et partim imperfecti tam modo quam tempore.

Igitur in modo perfecto longa ante longam tria valet tempora.

[De uariationibus modorum perfectorum et imperfectorum in marg.]  
[signa imperfectionis contra modernos m.rec. in marg.]

Cum de signis temporum  
uariationem denotantibus fecimus  
mentionem que non modernis  
cantoribus tam in modo quam in  
tempore fiat uariatio

Dicendum est sunt alii cantus perfecti modo et tempore. alii imperfecti alii perfecti modo et non tempore. alii tempore et non modo. alii partim perfecti et alii partim imperfecti tam modo quam tempore.

Et ubi notitiam tam de modi quam  
temporis uariationem habeamus  
perfectionem signa aliud modum  
perfectum aliud modum imperfectum  
notitiam dare affectamus. sed primo de  
diuersa cantuum uariatione uideamus.

[diminutio modi m.rec. in marg.]  
Modus perfectus vocatur quando  
tria tempora perfecta siue imperfecta pro  
perfectione qualibet accipiuntur  
Modus uero imperfectus est quando  
duo.

[Maxima longa non imperfectitur a minima in prolatione perfecto. m.rec. in marg.]

Item in modo perfecto longa ante longam ualet tria tempora nisi imperfectiatur a sola breui precedente uel sequente. Duplex longa sex tempora ualet.

cum de signis temporis uariacionem  
demonstrantibus explete superius facta  
fuerit mencio ne super ab aliquibus  
addicio fieri posset quia in modernis  
cantibus tam in modo quam in tempore  
fiat uariacio

sunt alii cantus perfecti de modo et  
tempore alii imperfecti alii perfecti de  
modo et non de tempore alii econuerso  
alii partim perfecti [[a]] et partim  
imperfecti tam de modo quam de  
tempore

Et ut noticiam tam de modi [quam  
add. supra lin.] temporis uariacione  
perfectam habeamus signa certa tempus  
perfectum et imperfectum denontia  
dare affectamus Sed primo de diuersa  
cantuum uariacione uideamus

Modus perfectus dicitur quando tria  
tempora siue perfecta siue imperfecta  
pro perfeccione qualibet capiuntur

Modus uero imperfectus quando duo

In modo perfecto longa ante longam  
semper ualet tria tempora

In modo imperfecto longa vero non nisi duo, nec tria valet nisi punctus perfectionis apponatur.

Item in modo perfecto pause trium temporum sunt integre, scilicet in uno corpore. imperfecto nec possunt nec dicuntur.

Unde sciendum est quod quotienscumque pause trium temporum in uno corpore reperiuntur, modus est perfectus et tempus.

Quando due pause vel plures in immediate sequentes reperiuntur quarum quelibet valet duo tempora, modus est imperfectus.

In modo perfecto secunda duarum brevium inter longas duas positarum alteratur, ut visum est prius. In modo imperfecto nulla brevis potest alterari.

In modo uero imperfecto simplex longa duo ualet tempora nec umquam plus ualere potest nisi punctus apponatur

Duplex uero quatuor nec potest augeri nec minui nisi per solam minimam uel per duas ut hic.

Item in modo perfecto ut uisum est duplex longa imperficitur duobus modis cum sola breui et tunc non ualet nisi quinque siue cum duabus et tunc non ualet nisi quatuor. posset etiam imperfici per minimas sicut duplex imperfecta.

Preterea in modo perfecto secunda duarum brevium inter duas longas ut uisum est alteratur

In modo uero imperfecto nulla potest alterari.

[nota m.rec. in marg.] Item quotienscumque pause trium temporum in uno corpore reperiuntur. modus est perfectus. ut in *Orbis orbatur.*

Quotienscumque due uel plures pause reperiuntur immediate quarum quelibet valet duo tempora modus est imperfectus ut in *Adesto uetus.*

In modo imperfecto simplex longa ualet duo numquam ualet tria nisi punctus diuisionis apponatur

Duplex longa longa uero quatuor nec potest augeri nec minui

Sed in modo perfecto ut uisum est duplex longa imperficitur 2 [3 ante corr.] modis siue cum sola breue et tunc non ualet nisi quinque tempora siue cum duabus et tunc non ualet nisi quatuor.

Item in modo perfecto secunda secunda duarum brevium inter duas longas positarum ut uisum est in arte ueteri alteratur

In modo uero imperfecto nulla potest nec alterari

Item in modo perfecto pause fiunt integre id est in uno corpore in modo uero imperfecto non sint

Et est notandum quod in modo perfecto maior pausa duorum temporum in uno corpore non debet fieri

unde sciendum est quod quo cienscumque pausa trium temporum [- f.4v-] in uno corpore reperitur modus dicitur perfectus

Quociens uero due pluresue reperiuntur pause in immediate quarum duo ualeat tempora modus est imperfectus ut in moteto *Adesto sancta trinitas.*

Modus et perfectum tempus  
continentur in moteti tenore qui vocatur  
Deus iudex;

modus imperfectus et tempus  
imperfectum continentur in moteti  
tenore qui vocatur *Adesto*.

Modus perfectus ex tempore  
imperfecto continetur in *Bona condit.*  
Modus imperfectus ex tempore  
perfecto in *preconio*.

Tempus partim perfectum et  
partim imperfectum [-69-] continentur in  
*Garison.*

<De signis modorum>

Modus imperfectus et tempus  
perfectum continentur in quodam  
insimili qui uocatur *Deus iudex fortis.*

Modus [-f.20r-] est perfectus quia  
semper tria tempora pro qualibet  
perfectione accipiuntur. [nota in marg.]  
Tunc est perfectum quia qualibet  
tempus in tres partitur semibreues.

Modus imperfectus et tempus  
imperfectum continentur in *Adesto.* quia  
ibi duo tempora pro perfectione qualibet  
accipiuntur. et qualibet tempore non  
partitur nisi in duas partes equeales  
semibreues.

Modus perfectus ex tempore  
imperfecto continentur In *bona condit.*  
Tempus perfectum et modus  
imperfectus In *misera per liconia.*

Tempus partim perfectum et  
partim imperfectum et modus etiam  
continentur In *garison.*

Ad modum perfectum denotandum  
secundum aliquos ponitur quadrulus  
tres tractulos intus continens pro tractos  
ut hic.

Ad modum uero imperfectum  
denotandum apponitur quadrulus duos  
intus continens tractulos pro tractos ut  
hic.

Modus perfectus et tempus  
perfectum insimil continuum in  
moteto *Deus Iudeo.*

Quare est modus perfectus quia  
semper tria tempora pro perfectione  
accipiuntur Quare de tempore perfecto  
quia quodlibet tempus in tres equeales  
partitur semibreues. Modus perfectus  
de tempore imperfecto continentur in  
*bona condit.*

Modus autem imperfectus et tempus  
imperfectum continentur in moteto  
*Adesto.* Quare est modus imperfectus  
quia duo tempora pro perfectione  
capiuntur. Quare de tempore imperfecto  
quia quodlibet tempus non partitur nisi  
in due equeales semibreues.

Modus perfectus de tempore  
imperfecto continetur in *bona condit.*  
Quare est modus perfectus uisum est  
supra Quare tempus imperfectum uisum  
est eciam.

Tempus partim perfectum et partim  
imperfectum et modus continentur in  
moteto *Garison selonc nature.*

Et ista sufficient pro diuisione modis  
et temporis

Ad modi imperfecti et temporis  
imperfecti designacionem. figuratur.  
talis in se continens duos tractulos

Ad modum et tempus perfectum  
denotandum insimul apponatur intus  
tres tractulos continens ita quod circulus  
tempus denotet perfectum tres tractuli  
modum ut hic.

Ad signandum uero modum et  
tempus imperfectum semicirculos duos  
intus tractulos continens apponatur ut  
hic.

qui tractuli designant modum  
imperfectum semicirculus tempus  
imperfectum ut in moteto *Nazarea que decora* Semicirculus autem pro modo  
perfecto et imperfecto indifferenter  
ponitur ut in predictis duobus motetis  
reperitur.

Sed ut modum dumtaxat sine  
tempus uariare possumus signum sibi  
ipsi singulare proprium scilicet  
quadrulum ut uisum appropriamus.

<De notulis rubeis>

Qua de ratione rubee note in  
motetis ponuntur breviter videamus.

Primo dicendum quod principaliter  
duabus de causis, una quia rubee note de  
alia mensura quam nigre cantantur ut in  
tenore In arboris

et ponuntur aliquotiens ut modus  
tempus varientur insimul ut in tenore de  
Garison;

Rubee notule ponuntur duabus de  
causis in motetis uel quia canuntur  
alterius mensure quam nigre

### Capitulum de notulis rubeis primo

Qua de causa note rubee in  
mocctectis ponantur breuiter uideamus.  
[Note rubee m.rec. in marg.]

Dicendum est igitur quod duabus  
de causis principaliter uel quia rubee de  
alia mensura quam nigre cantantur ut in  
Thoma tibi obsequia. Quare in tenore  
illius moccteti rubee cantantur ex  
temporibus perfectis de modo  
imperfecto nigre uero e conuerso.

Rubee etiam ponuntur aliquando  
quia tempus et modus uariantur ut in  
tenore de Garison In tenore enim illius  
moccteti longe notule nigre tria tempora  
ualent perfecta. rubee uero duo tempora  
imperfecta et aliquando e conuerso ut in  
tenore moccteti qui uocatur *Plures*  
*errores sunt.*

Qua de causa rubee notule ponantur  
in motetis ne id solum uideamus  
ignorasse breuiter uideamus

quod principaliter duabus de causis  
ponuntur uel quia rubee de alia  
prolacione mensurae canuntur ut in  
Thoma tibi obsequia. appetat quia in  
tenoribus illius moteti nigre ex tempore  
imperfecto et modo perfecto cantantur  
rubee uero econuerso.

### London 4909 (An. I):

Rubeae autem notulae tribus de causis  
in Motetis ponuntur scilicet quando  
cantantur alio modo vel alio tempore  
vel alterius prolationis quam nigrae, ut  
patet in pluribus Motetis quos  
composuit Philippus

vel ut secunda brevium inter duas  
longas positarum non alteretur, ut in  
tenore de In nova fert animus.

Item ponuntur aliubi quia  
cantantur in octava voce voce loci ubi  
sunt site, ut in tenore moteti Quant  
amors: in isto tenore omnes rubee  
cantantur in octava voce ubi sunt site.

uel quia dicuntur in octaua loci ubi  
superposita sunt.

Aliquando rubee ponuntur ad differentiam proprii id est simplicis et plani cantus quia sicut non de plano id est de proprio cantu ut In *Claerburg ibi aliquotiens rubee ponuntur ut longa ante longam non ualeat tria tempore uel ut secunda duarum breuium inter longas per omnia non alteretur. Vt in tenore In noua sit animus* uel etiam ponuntur ut longa ante longam ualeat tria tempora et breuis ante breuem tres semibreues Vt In *arboris.*

Vel rubee aliquotiens ponuntur quia  
reducuntur sub alio modo ut in motecto  
In arboris in tenore illius motecti de  
rubeis tria tempora pro perfectione sunt  
accienda de nigris uero duo uel de  
rubeis aliquando huc illuc et in balladis  
rondellis et motectis ponuntur. quia  
reducantur id ad inuicem operantur ut  
In plures errores.

#### Capitulum .ij.

Secundo modo apponuntur rubee  
quia cantantur in octaua nature loci ubi  
sunt site ut in gratia miseri. et in  
motecto qui uocatur Quant amors. In  
horum etiam motectorum tenoribus  
omnes rubee note dicuntur in octaua

Aliuociens uero ponuntur ut longa  
ante longam non ualeat tria tempora uel  
ut secunda duarum breuium inter longas  
positarum non alteretur ut in tenore In  
noua fert animus

Vel rubee ponuntur quia  
reducuntur sub alio modo in moteto in  
arboris epyro. Nam in tenore Illius  
moteti nigre notule sunt imperfecte de  
tempore imperfecto et rubee perfecte de  
tempore perfecto. Vl rubee aliquando  
ponuntur in elegiis et rondellis hic et  
illuc ut ad inuicem possint cum aliis  
perfectionibus computari

Simili modo rubee ponuntur ut  
pronuncientur in dyapason ut in moteto  
Lampadis os manuum. In huius moteti  
tenoribus omnes notule rubee dicuntur  
in dyapason.

## &lt;De nominibus temporum&gt;

Dicta prolatione secundum quod in sex vel in 9 dividitur minimis, dicendum est de divisione temporis.

Primo sciendum quod tempus perfectum est triplex, scilicet minimum, medium et maius.

Minimum tempus perfectum continet in se tres breves e<sup>qua</sup>les, que quidem tres semibreves minime pronuntiantur.

Medium dividitur in tres semibreves e<sup>qua</sup>les quarum quelibet valet duas minimas.

## [De nominibus temporum perfectorum in marg.]

Cum de temporibus et prolatione secundum quod in sex sive nouem diuiduntur minimas [-f.20v-] superius tractauimus competenter ne de temporibus diuisione insufficienter uideamus tractasse de tempore strictius tractare affectamus.

[tempus perfectum triplex m.rec. in marg.] Vnde sciendum est quod tempus perfectum est triplex scilicet minimum medium et maius.

Minimum tempus posuit Franco. Vnde notandum est secundum magistrum Franconem et sicut uisum est superius minimum tempus non est nisi tres continens semibreues que quidem adeo sunt stricte quod amplius diudi non possunt nisi per semiminimas diuidantur.

Vnde notandum quod quando aliquis cantus temporis perfecti reperitur ubi non nisi tres continentur semibreues pro uno tempore secundum minimum tempus pronuntiari debent si sint quatuor prime due semiminime nisi aliter signentur.

## De medio tempore perfecto

Medium tempus est illud quod continet in se tres semibreves e<sup>qua</sup>les que quelibet duas ualeat minimas uel ualere debet et medium tempus perfectum non nisi sex minimas in se

Cum de figuracione temporum perfecti scilicet et imperfecti superius particulariter sit ostensum et cum causa uetustatis aliqua sint dimissa super figuracione seu prolacione duplicitis perfecti que temporis imperfecti tam in genere quam in specie uideamus.

Et primo quod in musica mensurabili tempus est duplex scilicet perfectum et imperfectum

Sed sub diuidendo sciendum est quod figuracio temporis perfecti est triplex uidelicet maior minor et [[mia]] <minima>

Minima autem est illa que in tres e<sup>qua</sup>les semibreues diuiditur quarum ulla earum numquam diuidi potest ut in moteto *O Maria affectu*

Minor uero est illa que in tres e<sup>qua</sup>les semibreues diuiditur et quelibet semibreuis in duas minimas sic sex minime pro presenti tempore figurantur ut in moteto *Imperatrix anglica*.

Majus dividitur in tres semibreves  
equales quarum quelibet valet tres.

continet et si ponantur quatuor pro illo tempore due debent esse minime

Si quinque quatuor debent fieri  
minime Si sex omnes minime et equales.  
et si diuidantur per semiminimas  
diuidentur quarum quelibet minima in  
duas diuiditur semi minimas. V

Unde quando nos uidemus quod  
plures quam sex non ponuntur pro  
tempore sub tempore medio perfecto eas  
pronunciare debemus. Possumus tamen  
eas secundum maius tempus  
pronunciare Licet plures quam sex non  
ponantur et hoc quando non signantur.  
Nam sicut signentur proferri debent  
secundum quod sunt signate [nota  
m.rec. in marg.]

De maiori tempore perfecto  
sciendum est quod continent in se tres semibreves quarum quelibet ualere  
posset tres minimas et sic maius tempus  
perfectum nouem continent in se  
minimas nec plures ualere posset nisi  
per semiminimas diuidatur. [nota m.rec.  
in marg.] Vnde quando plures quam sex  
ponuntur semibreues neccessario  
oportet quod sit maius tempus  
perfectum et sic maius tempus  
perfectum tria minima tempora in se  
continent.

Item sciendum est quod quando pro  
isto minimo tempore due ponuntur  
semibreues prima maior debet esse et  
nunquam secunda nisi signetur licet  
secundum artem ueterem superius  
probauerimus quod secunda debet esse  
maior. Ratio huius est hec. [nota m.rec.  
in marg.] Quia ille semibreues in hoc  
tempore minimo se habent sicut tres  
minime in tempore maiori. [si ualeat duas

Maior autem figuracio siue prolacio  
temporis perfecti que in tres equales  
semibreues diuiditur quarum quelibet  
earum in tres minimas diuidi potest tunc  
nouem minime pro isto tempore  
terminantur. ut in moteto *Qui dolereux.*

Et sciendum quod tempus imperfectum est duplex: minimum et maius.

Minimum dividitur in semibreves equales quarum quelibet valet duas minimas, et sic dividitur in 4.

Maius dividitur in semibreves equales quarum quelibet valet tres minimas, et sic in 6 minimas dividitur.

in secunda solam unam m.rec. in marg.]  
Nam quando due semibreues pro tribus minimis ponuntur prima duas minimas ualet secunda uero solam minimam nisi aliter signetur ut superius uisum est.

#### **De minimo tempore imperfecto**

[tempus imperfectum duplex m.rec. in marg.] Item sciendum est quod sicut tempus perfectum est triplex scilicet minimum medium et maius ut dictum est sic tempus imperfectum est duplex scilicet minimum et maius.

Minimum tempus est illud quod continet in se duas semibreues quarum quelibet duas ualet minimas et sic minimum tempus imperfectum non nisi quatuor minimas ualere debet nisi per semiminimas diuidatur.

#### **De tempore maiori imperfecto**

Maius tempus imperfectum continet in se duas semibreues equales quarum quelibet ualet tres minimas et sic tempus maius imperfectum sex minimas in se continet.

Vnde quando nos uidemus quod plures quam quatuor minime ponuntur pro tempore imperfecto secundum maius tempus imperfectum eas debemus pronunciare. Et sic appetit quod sicut perfectum in tres diuiditur semibreues sic in tres prolationis species et tempus imperfectum in duas scilicet minimum et

Prolacio seu figuracio temporis imperfecti duplex est maior scilicet et minor

Minor uero prolacio temporis imperfecti est illa que in duas equales semibreues diuiditur et quelibet earum semibreuum in duas minimas et sic quatuor minime pro tempore terminantur ut in moteto *Qui des promises de fortune se fie*

Solent eciam quedam signa ad temporis et modi temporalis designationem talia figurari . talis enim circulus in se continens tres tractulos qui tractuli desinant modum perfectum. forma uero rotunda tempus perfectum ut in moteto *Garison selonc nature*.

Maior est illa que in equales duas semibreues diuiditur et quelibet semibreuis in tres minimas tunc sex minime pro tempore euadantur ut in moteto *Gratissima uirginis species*.

et tunc posset aliquis dicere quod minor prolacio temporis perfecti [-f.5r-] et maior imperfecti essent eadem. Responsio uerum est in ualore nam ualoris equalis est proporcio ut in proporcione emyolia et proporcione sesquialtera non autem sunt eadem in diuisione et prolacione

maius. secundum quod in duas diuiditur semibreues. Et est notandum quod maius tempus imperfectum se habet sicut maius tempus perfectum.

#### **De tempore imperfecto**

Sex minime possunt ingredi tempus imperfectum. Et est notandum quod quando due ponuntur ambe sunt equales semibreues quia quelibet ualet tres minimas ut patet hic.

Nisi prima signetur et ualet quinque minimas ut patet hic. Vel nisi ultima signetur ut hic. Et sic patet quod notula equiuoca prius in tempore imperfecto ualet tres minimas secunda duas tercia autem solam minimam ut hic. Nisi prima signetur ut patet hic.

Quando tres [-f.129r-] ponuntur prima ualet tres minimas ut patet hic.

Quando quatuor ponuntur prime due ualent tres minimas tercia duas quarta [quatuor ante corr.] uero solam minimam ut hic.

Nisi prima uel ultima signetur a parte inferiori. Et tunc illa signata ualet tres minimas et alie tres erunt minime ut hic patet.

Quando quinque ponuntur prime tres sunt minime. Quarta ualet duas minimas quinta solam minimam ut.

Nisi prima signetur quia tunc ualebit duas minimas. Et omnes alie erunt minime ut patet hic.

Quando sex ponuntur omnes sunt minime ut hic apparel exemplum.

Quando tres ponuntur prima ualet tres minimas secunda duas tercia solam ut hic.

Quando quatuor prima minor secunda minima tercia minor quarta minima ut hic.

Quando quinque ponuntur tres prime minime quarta minor quinta minima ut hic.

Quando sex ponuntur omnes erunt equales minime ut hic.

Et sic debent proferri omnes semibreues in quolibet tempore perfecto siue imperfecto quando non signantur

Et notandum est quod plures  
minime quam sex non possunt ingredi  
unum tempus imperfectum bono modo.  
Et si plures fuerint oportet quod sint  
semiminime tunc erit difficile  
pronunciari posset ut hic.

quia si sunt signate secundum quod  
signate sunt debent proferri  
Et notandum quod plures quam sex  
non possunt poni pro tempore  
imperfecto nisi ibi sint semiminime. ut  
hic.

<Explicit>

Explicit ars quevis mensurandi motetos  
compilata a magistro Philippo de Vitry  
Magistro in musica.

Explicit ars.

Explicit ars noua magistri Philippi  
de Vetri. Deo gratias amen. amen amen: